



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Cap. XI. De speciali ratione tranquillandi animum certis quibusdam
scrupulis agitatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341

CAPVT II.

*De speciali ratione tranquillandi animum
certis quibusdam scrupulis
agitatum.*

S V M M A R I V M.

1. *Scrupuli de cogitationibus fœda libidinis, vel blasphemia, vel infidelitatis, de motibus ire, vel inuidiæ, vel odij, cum remedijs quibus curandi sunt.*
2. *Eorum primum est considerare, quòd peccatum mortale requirat deliberatum consensum.* 3. *Alterum remedium tales scrupulos contemnere.* 4. *Tertium occasiones illorum auferre, sèque Deo, & sanctis commendare.* 5. *Quando & qualiter de talibus scrupulis confessio possit fieri.* 6. *Scrupulis agitatus labens in aliquod peccatum mortale, debet per veram penitentiam confidenter recurrere ad Dei misericordiam.* 7. *Scrupulus vexatorum inani suspitione, quòd in agendo peccarunt mortaliter, & illius remedium.* 8. *Quædam que possunt talibus inculcari ad ipsorum consolationem.* 9. *De vexatorum inani dubitatione, an de peccatis sufficientem dolorem habeant, aut sufficiens emendationis propositum: atque illius remedium.* 10. *Scrupulus vexatorum inani persuasionem, quòd suas confessiones debite non fecerint, illiusque remedium.* 11. *Rationes quibus sic vexati induci possunt ad deponendam anxietatem iterandi confessiones iam factas.* 12. *Scrupulus vexatorum anxietate nimia, confitendi peccata venialia, & remedium.* 13. *Scrupulus vexatorum, quòd non recor-*

Q 2

244 De speciali ratione tranquill. animum
dentur, an aliqua sua peccata in suis confessionibus ex-
presserint. 14. *Scrupulus* se in oratione vocali vex-
antium iteratione eorum qua dixerunt, quasi non dix-
erint attentè, aut verba non protulerint plene.

15. Item se vexantium quòd nesciant an aliquid de
suis precibus omiserit. 16. *Scrupulus* eorum qui vex-
ant se, eo quòd in suis orationibus, & pijs exercitijs,
non sentiant consolationes. 17. *Scrupulus* quo ali-
qui vexantur sumpturi sacrosanctam Eucharistiam,
tamquam indigni: quantumcumque non sint sibi conscij
peccati mortalis: & ad se disponendum, quam potuerint
diligentiam adhibuerint.

1.



S v s nobis propositus exigit, vt non
contenti communibus, descendamus
ad specialia, in quibus ille maxime
consistit. Consequenter ergo ante-
quam ad alia veniamus, tradendus est
modus tràquillandi animum agitatum certis scrup-
ulis, quos augendo solet dæmon vexare hominè:
& qui præter generale remedium requirunt ali-
quod speciale. Illorum autem variæ sunt species.

Prima frequentior, est cogitationum fædæ vo-
luptatis, quæ non modò placètes, sed etiam displic-
entes, sæpe in animum se ingerunt: eumque ita
occupant, vt tamquam de consensu sibi conscius,
excruccietur. Secunda rarior quidem, sed molestior,
est cogitationũ blasphemiarũ, aut infidelitatis, quas
dæmon subito obrudit, ita vt quis videatur audire
aliquem ad aurem, vel seipsum intus loquen-
tem ac dicentem: Ego Deum nego, dæmoni me
dedo; vnde turbatur quasi Deum verè negauerit,
aut dæmoni se dederit: cùm tamen abhorreat à tali

ralibus blasphemiiis. Tertia est subitorum motuum impatientia, vel iræ, vel inuidia, vel odij: ex quibus dum tentatio iurandi, aut verberandi, aut conuictiandi suboritur, consensus præberi videtur, mensque turbatur non satis distinguens voluntatem surreptitiam à deliberata. Ad quorum omnium curationem remedia accommodari possunt, quæ ex Gersone in tract. de remediis contra pu-

a consider. 16.
b Alph. 70. lit. 1.
c lit. m n o p q r.
d lib. 1. q. 14. 2.

Primum est vt qui talibus scrupulis à dæmone vexantur, considerare debeant numquam esse peccatum saltem mortale in huiusmodi cogitationibus horrendis, nisi cum voluntas plenè consentit, illasve amplectitur cum delectatione, deliberatè gaudente eas adesse, quod patet ex communi doctrina quam in praxi fori pœnitent. trademus partia tomo 1. lib. 1. de ratione iudicandi de peccatis ex parte causæ efficientis. Imò cum displicent, nec eis consentitur, sed potiùs animum pulsantibus dum eis resistitur, imputantur ad meritum, propter difficultatem & molestiam, quæ sustinetur eis resistendo. Ex tali enim consideratione intelligent, se non debere inquietari, nec animo frangi: sed alacriter, & fortiter pergere in via Domini: eo quòd tamquam hosti suo deficiant arma fortiora, quibus grauius sauciantur: sordibus horrendis quidem, nihil tamen, aut parum lædentibus ab eo impetantur.

3. Scrupulos tales contemere remedium est perutile.

Alterum remedium est tales scrupulos spernere, nec illis suggestionibus turbari, quasi consensus

Q 3

illis adhibitus sit. nam si quis aduersus eas disputa-
re velit, & nouas rationes quærere, quibus in illis
aut id genus aliis conscientiam suam quietam red-
dere velit, quod senserit quidem, non tamen con-
fenserit, nouas semper difficultates offeret tenta-
tor callidissimus, tuncque maximè gaudebit, & se
de eo triumphum agere existimabit, dum occupa-
bit ipsum illis concertationibus inutilibus, ad quas
importunus veterator prouocat maximè, quando
diligenter, & attentè, vel orare, vel studere cupi-
mus. Atque ille quidem, qui in vita spiritali mini-
mè exercitatus est, vult cum eo congregari fixo pede
exercitatus verò, & peritus harum versutiarum,
quasi talem oppugnationem non pateretur, rem
opusque sibi propositum persequitur, securusque
pergit, ac tentationem tamquam inanem canis la-
tratum spernit, violenter mentem ab illa reuocan-
do, & applicando ad aliud: aut certè illam negli-
gendo, perinde ac faceret, si quis ei narrans, aut
monstrans aliquid, quod audire vel videre dedi-
gnaretur, ad alia interim applicaret se auersa fa-
cie. Dolet enim superbus hostis, dum se sperni vi-
det; & ideo spernentem deserit, se contemni diu
non ferens. Vnde videri potest vtile; vt qui oppu-
gnatur, dum solus est, interdum ad contemptum
verba hæc adiiciat, quibus ipsum dæmonem, eius-
que conatus se diuina misericordia fretum negli-
gere confiteatur. Te tuasque artes pessime colubæ
nihil formido: ego quod Deus permittit, tuam ten-
tationem sentio, sed per ipsius misericordiam non
consentiam; illam me affligentem patienter fero:
quia iustum est, vt ob mea peccata affligar, sicque
purger, vt deinceps magis Deo meo placeam. In-
telligo

Diabolus se
sperni do-
let.

telligo me Christi militem, cum me rerum tam nefandarum tentationibus aggredere, sicut illum in deserto aggressus es, volens illi ut te adoraret, an quis turpissime, persuadere.

Tertium remedium, quod in tractatu de discretis exercitiis deuorum Gerson expressit, est, ut qui talibus scrupulis agitatur, tollat occasiones, vel otij, vel negligentiae, vel curiositatis, vel alias si quas tales dat istiusmodi procellarum: atque signo crucis se muniat suspirando ad Christum, inuocando beatam Virginem, sanctum Angelum suum custodem, caeterosque sanctos, quos habet in speciali veneratione, genu flectendo, aliudve signum pietatis exercendo, prout loci commoditas patitur, in reuerentiam mysterij, contra quod forte tentatur, sique haec non prosint, dolorem aliquem (cum discretionem tamen) sibi infligat; atque adhuc nihilominus perseuerantibus importunis eiusmodi tentationibus, patienter ferat: confidens per diuinam misericordiam non solum ei non nociturus, sed ad magnam coronam profuturus. haec Gerson. De peccatis autem venialibus quae in tali pugna admittuntur, siue ex negligentia, siue aliunde oriuntur, admonet Cordubensis poenas illis debitas deleri per feruorem charitatis, cum quo in illa pugna Deo adhæretur.

Nihil verò est, ut iidem monent, cur quis cum anxietate aliqua, aut sollicitudine curet tales tentationes confiteri, aut reconferi: nisi quod ex humilitate, & timore conscientiae id interdum possit; dummodo faciat sacerdoti discreto, & istarum difficultatum diiudicandarum perito. Nam scrupulosus (prout solet) confitens se accusando seuerè de

4. Tollere occasiones talium scrupulorum, aliud remedium.

5. Non necesse est tales anxietates confiteri, aut reconferi.

blasphemiarum, aut aliorum nefandorum peccatorum cogitationibus, incidere poterit in Confessarium indiscretum, qui non modò non leuabit ipsum, sed magis affliget, & in desperationem maiorem coniciet: vbi discretus faciet, quod Gerson in proximè citato tractatu narrat fecisse religiosum quemdam patrem in his rebus versatum, multaque experientia præditum: cui cum Monachus agitated molestia blasphemiarum tentatione, quam ob rerum fœditatem detegere non audebat, diuino fauente auxilio aperuisset, is subrisit, dixitque, manum capiti meo impone, quâ imposita subiecit se in se totum illud peccatum, eiusque pondus accipere: tantum daret operam, ne ea res amplius eum anxium, mœstumque haberet: quod cum ille vehementer miraretur: interrogauit pater, an vquam huiusmodi cogitationes ei placuissent: quo respondente se magnopere ab illis abhorruisse; Tu ergo, inquit, non eas agis, sed pateris, & ita te fatigatum demon vult in extremam desperationem inducere. sicque factum est vt monachus ille diuturna qua vexabatur molestia liberatus sit. Non debet verò de talibus scrupulis confitens descendere nimis ad particularia, quorum cõsideratione, & commemoratione magis inquietaretur animus: sed summatim referre, & tangere quantum sufficiat, vt Confessarius intelligat ipsius confitentis mentem, animaque statum; exempli gratia dicendo in genere; tales, aut super tali materia habui malas cogitationes quæ per Dei gratiam mihi non placuerunt, nec eis deliberatè consensi, etsi fortè in eis moratus sim eas non repellendo tam citò quam debuerim.

Addere

Prudens re-
ligiosi Pa-
tris consiliū
monacho
datum.

Non auct.
le. r. r. r.
s. r. r. r.
c. r. r. r.
c. r. r. r.
c. r. r. r.
c. r. r. r.

Addere etiam debet causam culpabilem, ex qua prouenire potuerunt verbi gratia, ex curiositate, negligentia, otio, aspectu incauto, labore, vel abstinentia indiscreta, aut huiusmodi aliis: ad pleniorē culpæ scilicet manifestationem, & certiorē debiti remēdij accommodationem. Quibus adde bonum vtilēque esse cum consilio Confessorij, vbi quis iam percipit tales cogitationes à dæmone suggeri, nullo modo de iis confiteri, nisi certum esset de cōsensu illis præstito; aut (quod maius est) de opere: id est, quod illorum interior motus exterius processerit in operationem, quæ rarò, aut potius numquam, bonæ conscientiæ solet euenire: quod tamen quia euenire potest, habenda est memoria iustitiæ diuinæ ante casum, ad vitandum ipsum: sicut & diuinæ misericordiæ post casum, ad resurgendum. Quæ misericordia tanta est, vt si quis commissis etiam totius mundi peccatis vniuersis, doleret se tam bonum Dominum offendisse, firmiterque proponeret ab illius offensa abstinere: veniam & gratiæ abundantiam consequeretur: vt argumento nobis sunt illi qui per talem pœnitentiam ad Deum cōuersi euaserunt magni sancti, vt constat de D. Magdalena. Vnde personas deuotas, quas vrgentibus istiusmodi scrupulis contingit ex infirmitate labi in aliquod peccatum mortale: id agere oportet, quod solent pueri non satis fortes ad ambulandum, qui libentiùs ambulantes sæpe cadunt, nec per se resurgere valent; & cum nolint pertinaciter manere prostrati in terra, humiliter & confidenter ad piam matrem tendunt manus, vt iacentes leuet: quæ pro sua pietate materna illorum miserata, statim accurrit: quod idem peccator pœnitēs

Dei bonitas
consideranda
summo
perere scrupu
loso.

Q 5

à Dei bonitate debet maiore ratione (sine præsumptione tamen) sperare, ipso dicente Isaïæ 49. *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui: etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.*

7. Quarta species scrupulorum indigentium speciali remedio statui potest, eorum quibus aliqui vexantur circa res à se gestas, dū ob leues aliquas rationes suspicantur actiones suas peccata mortalia fuisse, ita vt propterea communicare, aut celebrare non audeant, quin Confessarium adierint: vnde sæpe non redduntur tranquilliores, eo quòd recedentibus à Cōfessario nouus statim suboritur scrupulus, qui eos æquè ac priùs inquietos facit. His autē hoc morbo leuandis Gerson in tract. de diuersis diaboli tentationibus e remedium præscribit, vti primis debitè inquirant seduloque obseruent, ad quæ secundùm suum statum obligentur, vel non obligentur sub peccato mortali: ac circa illa sibi à peccato sollicitè caueant; ab eòque, si ipsis contingat, conscientiam emundare studeant: plus inter ea confidendo in diuina misericordia, quàm in vlla sua diligentia: atque considerando nulli ita præsumendum esse de sua munditia, vt existimet se aliquando præstare posse opera quæ ex parte sua sunt digna Maiestate diuina: cum ex Isaïæ cap. 64. *quasi*

pannus menstruatae sint omnes iustitie nostræ; aut immunitatem esse ab omni peccato, cum potius ex animo dicendum ei sit illud Psalm. 142. Non intras iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificaberis in conspectu tuo omnis viuens. Vt autem in tali inquisitione, & obseruatione sint tutà cōscientia, non est illis opus absoluta, & infallibili certitudine, vt

Scrupulosi qui de rebus à se gestis turbantur quid faciendum.

e Alphab. 70. lit. penult.

Omnes iustitie nostræ quasi pannus menstruatae.

rectè monet Gerson; sed sufficit moralis, & humana per prudentium, & deuorum hominum consilium, aut per iudicium propriæ rationis, & sui Confessarij iuxta antedicta f. vnde cum moralis certitudo secum patiatur aliquam anxietatem, hæsitacionem, & suspicionem de contrario, ex communi doctrina; non est quòd quisquam se à cæpto ideo auocet, quòd super eo sentiat aliquam formidinẽ; etiamsi (quod interdum solet agente dæmone) id ita contingeret; vt in animo perturbationem, & in corpore motionem, cordisq̃ue palpitationem efficieret. Etenim si tali formidini cedat, nulla spes tranquillitatis, & deuotionis obtinendæ ei relinquatur. Id autem quod in ea re plerisque scrupulosis nocet, est quòd optent omnia cum summa tranquillitate facere, ac frui statu, qui non est præsentis vitæ: vnde si minima in contrariam partem imaginatio sese offerat, turbantur è vestigio, cum se spe sua, votoq̃ue frustratos esse aduertunt.

f cap. 10. nu. 7.

Quod autem attinet ad negligentias veniales, & alia peccata venialia, quæ in tali lucta cum dæmone committuntur: dum inconstantes, impatientes, queruli, segnes, & tardi efficiuntur, Cordubensis admonet sollicitè quidem cauenda esse, sed sine anxietate, & inquietudine animi, faciendo quod potest commodè fieri, & reliquum misericordie Dei patris amantissimi humiliter committendo; cuius auxilio multo magis, quàm vllis nostris viribus, aut industria nitendum nobis est, prout istiusmodi scrupulosis inculcat Nauar. in Enchir. g Ad quorum consolationem istud quoque addi potest; sæpe fieri, vt tunc opera ipsorum magis Deo placeant dum fiunt cum maiore metu, & reuerentia, circumspectio

g cap 17 nu. 190.

spectione & humilitate; imò afflictio quam patiuntur purget animum, augeatque meritum, ipsosque humiliores reddat, & diligentiores, cum alias saepe contingat, ut qui nimis secundo vento feruntur, insolent, & negligentes, incautique fiant, & imperfectiones suas emendare, & occasiones peccati vitare, Deique & Sanctorum auxilium implorare contemnant: ut tam sit his periculosa tranquillitas nimiam confidentiam generans: quam fructuosa illis est vexatio, sanctum timorem & diuinæ maiestatis reuerentiam in animo fouens.

Quinta species scrupulorum quibus sit.

Alphab. 70. lit. y.

Quinta species scrupulorum eiusdem modi est, eorum quibus homines animo vexantur, nimis dubitando, an de peccatis commissis, tantum sibi displiceant, tantumque doleant, quantum tenentur, deque futuris cauendis sufficiens propositum habeant. Quibus tum idem, quod precedentibus adhiberi potest remedium: tum istud particulare ex Gerson. in tract. de diuersis diaboli tentationibus, ut tentatione aliquos urgente, quod non tam doleant de perpetratis peccatis, quam de iacturis aliquarum rerum temporalium: opponatur neque hominem posse, ut manifestum est, tantum, ac talem de suis peccatis dolorem habere, quantum, & qualem postulare diuinæ maiestatis offensa: neque esse necesse (ut verbis Gersonis utar) corporalem de peccato dolorem tantum esse, quantum fortasse esset de morbo, vel de alio temporali incommodo: quia sufficit peccatum commissum, ita displicere homini qui illud commisit: ut nullatenus Deum in simili casu offendere velit: ex communi doctrina de contritione, quam persequimur in praxi fori peniten. par. 2. lib. 1. Maior autem ille dolor de temporalibus

poralibus incommodis, quàm de peccatis, contingit ex parte sensus, in quem illa cadunt; hæc non item: sed tantùm in intellectum, qui peccata ipsa representans voluntati tamquam mala omnium maxima, facit, vt supra quoduis aliud malum displiceant, quod sufficere potest. Si verò tentatio in hac scrupulorum specie, aliquos ideo vrgeat, quòd non habeant tale, ac tantùm propositum cauendi sibi à peccatis, vt malint mori, flammam, aliàque id genus grauissima tormenta perpeti; & honoris, ac bonorum omnium iacturam facere, quàm peccare: Gers. in tract. 8. super magnificat. præscribit, non esse faciendas tales propositiones comparatiuas: neque si in animum suum ingerant, esse illis respondendum determinando se ad alteram partem comparationis eligendam: quoniam ei cui illæ ingeruntur, non adest casus, in quo teneatur de præsentij facere alterius electionem; vt ex eo patet, quòd eam faciendo, prout idem Gerson rectè notat, in tract. de diuersis diaboli tentationib. exponitur periculo peccandi: siue in proponendo offendere Deum ad temporale aliquod incommodum vitandum: siue in præsumendo arroganter de se in contrarium; quorum neutrum licet. Itaque tacendum est, & ad alia diuertendus animus, aut ad summum verè & humiliter coram Deo dicendum: si talis offerret se casus, scio quid tunc eligere deberem, quid autem eligerem nescio: nunc autem Deum meum per suam gratiam offendere nolo, & quoad futurum quamuis meæ infirmitatis mihi conscius, non audeam, nec sine arrogantia possim dicere, quod D. Petrus Matth. 26. affirmauit, *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: tamen confido in Domino, quòd non

Alphab. 88.
lit. o.

lit. x.

me

me patietur tentari supra id quod possum, sed faciet cum tentatione prouentum: vt ait Paulus 1. Corinth. 10. ipse cuius oculi viderunt imperfectum meum: & cuius salutaribus præceptis moniti audemus dicere, *Ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo: adiutor erit in opportunitatibus in tribulatione.*

10.
De his qui
putat se nū-
quam bene
confessos.

l Alfab.
70. lit. b. c.
m lit. z.

Sexta species est eorum scrupulorum, quos nonnulli patiuntur circa confessiones suas grauissimos, & molestissimos: dum numquam putant se satis perfectè, & integrè fuisse confessos, eo quòd aliquam circumstantiam, vel peccatum, aut omiserint aut non satis dilucidè expresserint, ita vt confessiones crebrò reperant, & de eodem peccato crebrò confiteantur, se suosque Confessarios fatigantes, dum trepidant timore, vbi non est timor. Pro remedio autem ex Gersono in tract. de remediis contra pusill. l & in tract. de diuersis diaboli tentat. m talibus præscribendum est vt cessent à reiteratione confessionis eorum peccatorum, de quibus an sint mortalia, vel an sint sufficienter à se confessa dubitant scrupulosè; id est; sine probabilitate, notitiæve sufficiente ad persuadendum sibi prudenter quòd talia sint mortalia, vel indebitam de illis confessionem fecerint. Cessent inquam abijciendo se ad pedes diuinæ misericordiæ; cui principaliter, non autem diligentia nostræ, confidere debemus quando agitur vel de obtinenda gloria in futuro sæculo, vel de obtinenda gratia, & peccatorum remissione in præsentì. Cùm igitur certò, aut probabiliter sciuerint aliquid mortale esse, de quo numquam confessi sunt (vt si progressu temporis dum legunt, audiunt, discunt, doctiores effecti: vident multa mortalia esse quæ prius iudicabant non esse) consentaneum est

est de talibus confiteri: aliàs verò vitanda ipsis est peccatorum repetitio in confessione.

Ad quod vt inducantur iuuabit proponere eis quòd talis anxietas, & inquietudo non iuuat, sed quadam ratione impediatur Dei in nobis habitationem per suam gratiam: quandoquidem vt rectè argumentatur Gerson n. factus est in pace locus eius. Psalm. 75. immoderatq; illa puritatis cura, ac peccati nimius terror, ei non placet: quia quamdiu Deum ita timemus, non videmur eum satis diligere, habentes eum de nimia seueritate suspectum; vnde fit, vt inani metu concepto minuatur fiducia accedendi ad ipsum, nobis tantopere necessaria. Multò ergo fructuosior, Deòque gratior erit humilitas, qua se patri benigno totum committès dicat illud Daniel. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Secundò quòd stultum sit aliquem fatigare se in eo, quod est sibi impossibile; nemo autem per suam illam diligentiam absque speciali Dei reuelatione, possit eò pertingere, vt certò, & infallibiliter cognoscat se sic verè, ac sufficienter contritum, atque confessum esse de suis peccatis, vt in Dei sit gratia, cum dicat Sapiens Ecclesiastici nono. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Tertio quòd tali confessionis repetitione nò modò non fiant quietiore, & sedatiore animo, sed vt ipsi experiuntur, magis ac magis perturbentur: sicut aqua cum est agitata, si situlam, qua continetur sapius loco moueas, non inde tranquillatur, sed magis agitur. Quarto quòd ex Navarro in Enchir. o mortaliter peccet, qui semel benefactam peccatorum confessionem, sapius

ii. Hæc inquietudo nò iuuat, sed obest.

n in dicta lit. b.

o cap. 21. nu. 42.

sapius ob scrupulos ita repetit, vt vel se obiiciat pe-
 riculo amentiae per nimiam de re tristi cogitatio-
 nem, vel notabile scandalum praebeat Confessario,
 vel sibi infamiam iurat erga aliquem tertium: de
 quamuis haec pericula non adsint, peccet saltem
 venialiter: quia tenetur procurare conscientiae tran-
 quillitatem, quam talis repetitio impedit. Qui ergo
 huiusmodi est, semel bene confessus iudicio docti
 Confessarij, quiescere debet; nec per frequentes
 eorundem peccatorum confessiones, vulnus suum
 refricare, ac renouare: neque quod bene sanatum
 est vlcus amplius attingere; sed posteriorum obli-
 tus, ad anteriora se conuertere, & de misericordia
 Dei benignè sperare, neque eam securitatem qua-
 rere quae in hac vita non habetur, nisi accedat al-
 qua peculiaris reuelatio diuina. Postremò si erudi-
 tus sit, & bonae conscientiae, monendus est, quod
 nollet in simili casu alteri dare consilium illud, quod
 pro se capit, quodque non debeat damnare pru-
 dentes, ac pios viros, quos videt talibus rebus com-
 munitè non moueri. Certè si nollet alteri dare co-
 silium, quod pro se accipit, nec damnare alios, qui
 illud non sequuntur: satis aduertere potest se non
 sequi illud ex recta ratione, sed ex aliqua inordina-
 ta passione: quae si abesset perinde rectè, certò que
 iudicaret in suo negotio, ac in alieno, vt bene anno-
 tat Caietanus in verbo scrupulus. Neque verò con-
 sultum est cum eo multitudine rationum agere, nisi
 ad persuadendum, vt quasi captiuato intellectu
 omnem de scrupulis discursum abiiciat: fere enim
 ea infirmitas animi est, quasi dolor quidam capitis,
 qui vt sanetur, somnum, & quietem requirit.

Septima species scrupulorum est eorum quibus
 adhuc

adhuc circa attinentia ad confessionem contingit scrupulosos inquietari dupliciter.

Vno modo sollicitudine nimia confitendi quæque peccata venialia: quibus erit salutare proponere, quòd ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. persuasum habere debeant, talia in confessione taceri sine culpa; delerique posse multis aliis modis, quos ex iure Canonico collectos refert Hostiensis in sua summa: p nempe digna Eucharistiæ sumptione, aquæ benedictæ asperzione, ieiuniis, eleemosynarum largitione, orationis dominicæ recitatione, deuota pectoris tunctione. Proponi etiam iis poterit remedium à Gersone q præscriptum: vt iuxta dictum Sapientis in cap. 7. Ecclesiastic. nolint esse iusti multum: & abstineant à tali sollicitudine, generante inquietudinem Deo minimè acceptam (iuxta illud Matt. 6. Ne solliciti sitis anima vestra, &c.) neque prudenter susceptam: quandoquidem peccatis grauioribus sigillatim & in particulari propositis, sufficere illis potest leuiora in genere referre succinctè multo magis in Dei misericordia confidendo, quàm in vlla sua diligentia. Et certè vanam esse talem sollicitudinem ex eo patet: quòd secundum communem Theologorum sententiam in statu naturæ lapsæ homini sine speciali Dei priuilegio omnia peccata venialia vitare, sit moraliter impossibile.

Altero modo contingit scrupulosos inquietari, ex eo quòd non recordentur, an hæc, vel illa peccata in suis præcedentibus confessionibus expresserint. Quibus curandis Caiet. r & Nauar. s hoc remedium præscribunt, vt interrogentur de diligentia, quam confessuri adhibuerint in recogitandis

R

Circa Confessionem quo modo scrupulosi inquietentur.

12.

p tit. de pœnit. & remis. §. de quibus peccatis.

q loco cit.

13.

r in verbo Confessio. in expos. §. condit. s ad cap Si quis autem. de pœnitent. dist. 7. n. 77.

peccatis, & in recogitatis integrè confitendis: si que inueniantur fuisse mediocriter diligentes, suadendum est illis, vt deponant dubitationem (qua manente, inquit Nauar. iterum cōfitendum esset) & de illis confessos esse credant hoc argumento: quòd sapientioris, & boni viri iudicio, diligentiam, ad quam tenebantur posuerint in confitendo, vnde tutam conscientiam sibi formare possunt: quia cum laborent tali infirmitate, quæ in ipsis firmitatem iudicij circa rem propositam impedit; vehemensque timoris perturbatio constantiam ipsis adimat, & tot dubitationibus opprimat, vt rectè iudicare non possint, certè spiritualis Medici consilium illis sufficere potest ad moralem certitudinem, & tutam conscientiam formandam.

14.
Scrupulosi
circa oratio-
nem vocalē
quomodo
curandi.

z Alphab.
70. lit. b.

z z. qu. 83.
art. 13.

Octaua species est eorum scrupulorum quibus vexantur illi, qui nimium scrupulosi sunt in reiterandis orationibus vocalibus, siue totis, siue quoad aliqua verba, quasi non dixerint attentè, aut verba non protulerint plenè. Quibus Gerson in tract. de remedijs contra pusill. z ait præscribendum esse, vt abstineant ab huiusmodi iteratione. Primò quia id non facit animum tranquillum, sed potius magis inquietum, vt experientia docet in ijs qui tales iterationes multiplicat. Secundò quia non conciliat attētionem, sed potius impedit. Nam tales dum sic mentem anxie applicat ad obtinendam attentionem, ipsi pro obiecto sibi attentionē ipsam constituunt: vnde fit, vt magis euagentur, attendendo non ad verba, quæ proferunt, sed ad attentionem, quam imaginantur. Tertiò quia talis iteratio necessaria non est: nam vt oratio vocalis meritoria sit, & impetret apud Deum, ex D. Thom. z non requiritur,

ritur, vt per totam ei attentio actualis adfit, sed fufficit vis primæ intentionis, seu propofiti, cum quò aliquis accedit ad orandum, dummodò tamen fe ab attentione non diftraxerit (fponfe fua, aut per notabilem negligentiam: vt vfuuenit (inquit Gerson) hominibus, qui ex deprauata confuetudine ad omnia fpiritualia pigri, & ad cuncta, quæ carnis funt prompti, tempore perfolutionis horariarũ precum (quæ illis non fapiunt) cogitationibus fæcularibus, & carnalibus, quibus oblectantur, animum pascunt: ita vt fæpe inter patinas (vt dicitur) animo verferentur. Tales eam euagationes, quæ proueniunt ex affectu vitiatò, per dæmonis artem, adferente fonnolentiam, & fastidium in orando, non admittunt excufationem: ficut illæ admittunt, quæ proueniunt ex infirmitate, fiue accidentali; vt in iis, quorum modica, & venialis tantum est negligentia; fiue naturali, vt in iis, qui phantasias ita habent volubiles, vt velint nolint, ad leuem aliquem quali veni flatum, facile à fuo propofito ad alia diftrahuntur; quibus, vt notat Cordubèfis, melius est dolere humilliter de fuo defectu, confidendo in mifericordia Dei, quàm iteratione animum inquietare.

Porro circa hanc orationum iterationem, interdum contingit ferupulis angiquæ: non iam quòd fine attentione, aut non plenè proferendo orationes ipfas dixerit, fed quòd an omninò dixerit non recordetur: vt accidit ei, qui cum peruenit ad laudes, non meminit an dixerit matutinũ integrum: & in vefperis incepturus hymnum, non meminit an dixerit omnes præcedentes quinq; Pfalmos: & in Miffa dicturus Euangelium, non meminit an dixerit graduale; vel iam dicturus orationem Do-

inquit Gerson
homines
qui ex deprauata

inquit Gerson
homines
qui ex deprauata
conferentes



minicam, aut sumpturus, sanctam communionem, non meminit utrum verba consecrationis protulerit super panem & vinum. Quo tempore ex Nauarr. x abstinere debet à reiteratione, & animose ad sequentia pergere, si rationabiliter credat, quòd dixerit, ut potest ex eo rationabiliter credere, quòd còsueuerit integrè dicere; nec quidquam aduertat vnde se à tali consuetudine defecisse, iudicare debeat. Non credenti autem, quòd dixerit, tale consilium dari nò potest, ut admonet idem Nauarrus. Et ratio est quia non ut propriè scrupuloso, sed ut dubio dari deberet consilium iuxta ea quæ dici solent de conscientia dubia: tradenda suo loco nobis in Praxi fori pœnitent. par. 3. to. 1. lib. 3. tract. 2.

16. Nona species est eorum scrupulorum, quibus nonnulli affliguntur, eo quòd in suis orationibus, & aliis piis exercitiis, cor ut ipsis videtur, habeant aridum, & deuotione erga Deum careant; ut potest consolatione & suauitate, quam talia adferre solent, destituti: inde enim suspicantur se peccatis aliquibus occultis inquinari, ac reprobos esse. Quibus Gerson in tract. de remediis còtra pusillanimitatē, & in lib. 4. de còsolatione Theologica prosa 3. hoc remedium præscribit: ut attendant suauitatem còsolationis in suis exercitiis, non censerit signum de se sufficiens & infallibile inexistens diuinæ gratiæ gratum/faciens: quandoquidem illam (ut exemplo Begardorum & quorundam aliorum Gerson confirmat) aut potius illius quandam speciem, et suis deliramentis hæreticos percipere contingit: in quibus non inuenitur gratia gratum faciens, cum impossibile sit sine fide placere Deo, ad Hebræ. 11. Quare id fit dæmone illudente ipsis, ac transfigurante

Scrupulosi
qui cor aridum se habere dicunt.

se in Angelum lucis. potest enim malignus hostis corporeas facultates quadam tranquillitate fouere, apparenteque voluptate delectare, ac inde incautos eo usque allicere, vt tandem secundum spirituales quoque vires, multum inde gaudeant, magnaque consolatione fruantur; ita vt vix credere possint, quin à Deo sit tanta suauitas. Cuius contrarium ex eo cognoscitur, quod per eam illi erigantur in superbiam, & fornicationem spiritalem; aut indiscreto vsu (seu potius abusu) talis deceptorie consolationis, deiciantur in vesaniam, aliâque mala contraria virtutibus charitatis comitibus inseparabilibus: sicut charitas ipsa inseparabilis est à gratia gratum faciëte. Quas virtutes enumerat Apostolus in priori ad Corinth. 13, illis verbis: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Alterum remedium est, vt attendant, quod cum vera deuotio consistat in bona voluntate, qua homo paratus est se, suâque impendere ad Dei obsequium illiusque beneplacitum in omnibus sequi: dum quis opus pium exercens, agnoscit in se talem voluntatem quam non comitatur consolationis suauitas, existimare debeat id diuina dispositione contingere ob maius suum bonum: nempe sibi subtrahi consolationem, ne esset ei occasio præsumptionis, aut negligentiae aut vanæ gloriæ, aut altius periculi peccandi, vel vt mereretur magis, dum quali suis expensis militat, seruitque Deo. Itaque totum diuinæ misericordiæ se committere, & hu-

Vera deuotio in quo consistat.

militer de illius auxilio confidere debet; faciendo quod in se est; simulque petendo conseruationem & augmentum cōcessæ bonæ voluntatis: ac demum sentiendo de illo tamquam de patre amantissimo & nostræ vtilitatis studiosissimo, iuxta illud Esaiæ 49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, & non misereatur filio uteri sui; & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.*

Tertium remedium est, vt attendant tempus istud esse serendi, non metendi; aderit tempus retributionis bonorum operum, *in quo inebriabuntur ab ubertate domus Domini*, ex Psal. 35. Itē in maiori periculo versari fruente dulcedine deuotionis, quam illum cui denegatur; cū de illa confidens, imperfectum suum considerare negligat, & ob suam præsumptionem fiat à Deo remotior, potius, quam propinquior. Contrà verò aridus contendens ad deuotionem cum sui abnegatione, & diuinæ misericordiæ magnificatione, ob suam humiliatiōnem poterit Deo acceptior esse; dummodò contendens non negligat facere, quod in se est.

cap. 17.
Serupulus
eorum qui
S. Euchari-
stiam sume-
re nolunt.

Decima species scrupuli est, quo ij vexantur, qui etiam post factam quanta potuerunt diligentia confessionem de peccatis suis, refugiunt tamquam indigni sumere sacrosanctam Eucharistiam: eo quòd Apostolus in priori ad Corinth. cap. 11. de sumente illam indignè dicat: *quòd iudicium sibi manducet & bibat non dijudicans corpus Domini.*

Pro remedio autem ex Gersone in tract. de præparatione ad missam: proponendum est ad sacramentum illud omni veneratione, & reuerentia dignissimum fructuosè sumendum, non requiri certitudinem, speciali Dei reuelatione tibi euidentem quòd

quod sis in Dei gratia: imò ne, siquidem talem haberes, deberes te iudicare dignum tali sumptione; sed adhuc cum Centurione dicere. *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Sufficere igitur potest certitudo moralis; seu quod accedens ad tantum sacramentum sumendum, tantam diligentiam posueris in repurganda conscientia, quantum adhibuisses sic ut nullius peccati mortalis non expiati, te conscium sentias: & quodcumque à te prius commissum sit, sic detesteris, ut firmissimè proponas nulla tenus de cætero succumbere iuvante diuina gratia: quæ ipsa Eucharistiæ sumptione tibi accrescet, roburque ad resistendum fortiter tentationibus addet, tibi bona fide agenti: nec in te suscepturo, nec in sacerdote ministraturo, impedimentum vllum siue peccati, siue censuræ Ecclesiasticæ cognoscenti, atque adeo nihil obstare, quominus à diuina misericordia expectes eiusdem sumptionis vberem fructum. Nec te moueat quod carne pugnante aduersus spiritum, te aridū sentias, dummodo voluntate sincera deuotionē desideres; & ad eam seriò contendas. Deus enim *qui audit desiderium pauperum*, ex Psal. 9. nos nostraque iudicat secundum liberum nostræ voluntatis arbitrium: non autem secundum ea, quæ nobis inuitis, & contradicentibus caro, sensualitasve ingent: qualia sunt, imaginationes volubiles, phantasiæ variæ, carnis illecebræ, ac stimuli, appetitiones vindictæ, inconstantia circa agenda, vacillationes circa credenda, aliæque id genus quibus quandiu non consentimus, tantum abest, ut diuinam gratiam in nobis destruant, ut potius virtutem perficiant, iuxta illud posterioris ad Corinth. cap. 12.

Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mee, Angelus Sabane, qui me eclaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Matth. 8.

Luc. 19.

Eucharistiã accipere cū quis sibi nullius peccati est conscius, est melius, quàm ab ea abstinere.

Accedit ad hæc, quòd quamuis nullius peccati sibi conscio liberum esse possit, vel abstinere ab Eucharistia, excusando se cum Centurione, cuius verba ante retulimus: vel ipsam alacriter suscipere imitatione Zachæi qui Dominum in domo sua suscepit gaudens: istud tamen esse longè melius, quàm illud, patet ex immensis fructibus quos talis susceptio profert virtute passionis Christi cuius est memoriale; præsertim pinguedinem deuotionis ac roborationem in charitate, vnde anima iuuatur maximè ad perrumpendas difficultates, quas caro adfert in via salutis.

CAPVT XII.

De Confessarij prudentia in agendo cum Penitente, quem vt scrupulis sic & Dei timore carere aduertit.

SUMMARIUM.

1. Opponuntur scrupulosi libertini, quibus prodesse possunt aliqua ex medicinis, qua præscribuntur scrupulosi, alia non item; sed potius nocere. 2. Earum loco assumendus Dei timor dictus seruilis, nascens ex consideratione pœnarum inferni. 3. Pœnarum infernum grauitas, cum abundantia urgenda est maxime.